



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

XII. Ævo Caroli magni, Presbyteri sine titulo ordinati, pretio comparabant Ecclesias. Quæ audacia repreßa tum fuit in Concilio Turonensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

XII. Temporibus Caroli magni morbus ille invaluerat, ut à Presbyteris sine titulo ordinatis Ecclesiæ pretio compararentur. Sed qui facinus illud aggrediebantur, non docebant legitime fieri, ut tentatum postea à Florentinis. Ceterum audacia emptorum repressa est canone xv. Concilij Turonensis habiti anno octingentesimo decimo tertio.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

I. VETUS Ecclesiæ, ut adnotatur in hoc capite, Presbyteros tantum & Diaconos admittebat ad episcopatum, exclusis prorsus Clericis inferioris ordinis. Primus omnium, ut vulgò existimant, Urbanus secundus (non autem primus, ut perperam habetur in capite *A multis*. extra de ætate & qualitate ordinandorum.) Subdiaconos quoque eligi permisit, opportunitate exigente, si tamen consensus accesserit Metropolitanæ Ecclesiæ vacantis vel Romani Pontificis. Decretum id in *Beneventana synodo Urbani Pape, capitulo primo*, adnotat Ivo Carnotensis Episcopus in parte quinta Decreti cap. lxxii. & libro III. Pannormiæ cap. v. Verùm cum Concilium illud esset ignotum iis qui sub Gregorio XIII. emendationi librorum Iuris Canonici operam dederunt, Concilium Beneventanum ab Ivone laudatum admonuerunt intelligendum esse de synodo Beneventana quæ tempore Victoris tertij, cui Urbanus secundus successit, habita est. Falsi sunt autem illi vehementer. Nam in actis Concilij illius Beneventani, quæ extant apud Leonem Ostiensem, nulla istius rei mentio reperitur. Sed ea constitutio legitur in plurimis codicibus manu scriptis sub nomine Urbani secundi in Concilio Beneventano, tum etiam apud Ivonem & Gratianum & in libris Decretalium. Quod evincit conjecturam Correctorum Romanorum esse vanam, omninoque caput istud esse restituendum Urbano secundo.

II. Hic locus me admonet ut captata occasione emendem breviarium canonum synodi Claromontanæ quod extat in libro nono historiæ ecclesiasticæ Orderici Vitalis. Nam ille describens canones illius Concilij in epitomen à se redactos, cum ventum est ad constitutionem de electione Episcoporum, his omnino verbis reddidit canonem Concilij Claromontani: *Nemo in Episcopum eligatur nisi aut Presbyter aut Diaconus aut Subdiaconus, & cui dignitas natalium suffragetur, nisi maxima necessitate & licentia Summi Pontificis*. Non cepit Ordericus sensum verborum Urbani, à quo longissimè recedit. Quippe Urbanus Subdiaconos non aliter eligi permisit quam in casu maximæ necessitatis, & cum licentia Romani Pontificis vel Metropolitanæ; ut patet ex canone primo Concilij Beneventani. Ordericus autem refert illum statuisse uti nemo in Episcopum eligetur nisi qui Presbyter esset, vel Diaconus, aut Subdiaconus. Itaque Ordericus Subdiaconos ponit in regula, cum illos Urbanus ponat in exceptione. Deinde, Urbanus omnino prohibet inferioris ordinis Clericos, id est, eos qui infra Subdiaconos sunt, eligi in Episcopos. Sed Orderici breviarium illos quoque eligi sinit *maxima necessitate & licentia Summi Pon-*

Tom. II.

tificis. Quod alienum esse à mente Urbani & res ipsa clamat, & docet præterea manifestè vel unicum caput *A multis*. Cur enim etiam Innocentij tertij pontificatu debitum adhuc esset an Subdiaconi eligi possent in Episcopos, si Clerici quoque inferioris ordinis eligi poterant auctoritate constitutionis Urbani? Denique in eo etiam peccavit Ordericus, quòd heic omisit personam & dignitatem Metropolitanæ, cuncta ad Summum Pontificem referens; cum tamen Urbanus Subdiaconorum causam tractans, eos ita eligi permisit, si consensus eorum Metropolitanæ accederet. Attamen quamvis Ordericus à sententia sensuque Urbani multum recesserit in hoc loco, ejus testimonio habemus renovatum in synodo Claromontana fuisse hunc canonem Beneventanum, adeoque verissimum esse quod adnotatum est in veteri codice M. S. monasterij Anianensis, confirmata nimirum in eodem Concilio fuisse capitula superiorum omnium Conciliorum quæ per eundem Papam aut Melphicæ aut Beneventi aut Trojæ aut Placentiæ celebrata sunt.

vide supel 105. 106.

III. Puto autem Urbanum ad condendum istum canonem permotum esse ex eo quòd videret Subdiaconos ac sequentes Clericos interdum eligi in Episcopos absque Romani Pontificis auctoritate; idèque decretum ea de re faciendum esse existimavit, ut quoties ista deinceps tentarentur, fieri viderentur auctoritate Romani Pontificis. Quam conjecturam ut adjuvem, ostendendum est aliquot exemplis veterum temporum Subdiaconos & inferioris ordinis Clericos interdum ad episcopalem dignitatem vocatos esse ante constitutionem Urbani. Initium autem faciemus à Iordano Episcopo Lemovicensi. Cum Geraldus vacuam fecisset sedem Lemovicensem anno vigesimo supra millesimum, avaritiæque & ambitio irreperet in animos eorum penes quos erat aliqua vis & auctoritas in eligendo novo Episcopo. Guilielmus Aquitaniæ Dux, ut his malis occurreret, summam electionis in se trahens, habito conventu apud sanctum Iunianum in Lemovicibus, *ibi Dei nuntius*, inquit Ademarum Cabanensis, *elegit in episcopatum honore Iordanum Præpositum Ecclesiæ sancti Leonardi, magne nobilitatis & simplicitatis virum*, tum in Subdiaconatu constitutum; eaque electio summo omnium applausu excepta, nullius querelam provocavit, nemo questus est illam factam esse contra canones, neque licuisse eum eligi qui nondum Diaconus erat. *Sabbato dein medio Quadragesimæ*, ut ait idem Ademarum, *Diaconus & Presbyter ordinatus est, crastina Dominica consecratus est ab Ibone Episcopo Santonensi &c.*

IV. Ita sanè tolerari potuerunt; quia Subdiaconi, quamvis olim non essent in sacerdotio constituti, sacris tamen altaribus ministrabant, quemadmodum loquitur Urbanus. Sed contra regulas omnino fiebat cum simplices Clerici ad episcopatum eligerentur. Quod Urbani secundi seculo non semel factum esse reperio. Primum quod profero exemplum, editum fuit in persona Geraldii Episcopi Lemovicensis, cui Iordanus successit. Is ergo electus Episcopus anno millesimo & duodecimo, *consecratus est*, ut ait Ademarum Cabanensis, *Pitavis apud sanctum Hilarium mense Novembri pro omnibus gradibus ecclesiasticis à Gisleberto Episcopo, & in gradu pontificali à Signino monacho Archiepiscopo Burdegalensi*. Adnotat idem Ademarum gravem controversiam fuisse excitatam inter Episcopos qui interfuerunt consecrationi istius Episcopi, *contradictentibus omnibus Episcopis non esse auctoritatem patrum ordinationes*

FF